



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§21. Carolus Imperator coronatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.  
A. C. 800.

§. XXI.

*Carolus Imperator coronatur.*

*Theoph. an.*  
*7. Const. p.*  
*399. Et an. 4.*  
*Iren. p. 401.*

In Die Natali Domini vigesima quinta Dec. Indictione nona, eodem anno octingentesimo, Rex ad Basilicam S. Petri Missæ adfuturus venerat, cumque inclinatus coram Altari staret, Papa orantis capiti suis manibus pretiosissimam coronam imposuit, universo populo Romano acclamante: *Carolo Augusto a Deo coronato Magno Et pacifico Romanorum Imperatori vita Et victoria!* hæc cum Sanctorum invocatione ter repetita. Ita unanimi omnium voto Imperator salutatus est, Populo Romano pro Defensione Romanæ Ecclesiæ gratias referente. Acclamationibus cessantibus Papa Imperatorem, more quo antiqui Principes solebant, adoravit, id est, coram ipso prostratus Dominum & Principem suum professus est. Atque exinde Carolus loco Tituli Patricii Imperator & Augustus est appellatus. Mox Papa Carolum & Pipinum Regem filium ejus oleo sancto unxit, & Carolus peracta Missa Sancto Petro duas mensas argenteas, Calices, Patenas, & diversa Vasa ex auro purissimo obtulit. Dona etiam pretiosissima ad Basilicas S. Pauli, S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris misit.

Cete-

Ceterum tantum aberat, ut Carolus hujusmodi Coronationem speraret, ut primo averfaretur, & affirmaret, se ea die, quamvis præcipua solemnitas effet, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium scire potuiffet. (\*) Nimirum, intelligebat Carolus, fore, ut Imperatoris nomen sibi apud Græcos invidiam crearet, quamvis nihil adderet potentia. Nam Longobardis oppressis jam

Sæcul. VIII.

A. C. 800.

vit. per Egin.

p. 103.

R r 3 diu

(\*) Ita Fleurius ex Eginhardo. Verum audiamus etiam Palatium ad hunc locum: *Sed finxisse Carolum, vel Eginhardum adulatione Regem palpassse litteræ ipsius Caroli demonstrant. Quo enim spectabant tanti pro Ecclesia, ejusque Vicariis exantlati labores, nisi ut in præmium coronaretur Augustus? Nonne teste Sigonio in privilegiis vel edictis in gratiam Ecclesiæ exaratis, Verbis uti solebat sequentibus: Carolus Dei Gratia Rex Francorum & Longobardorum, & Patritius Romanorum. Si Ecclesiarum Dei Servis munificentiam nostram impertimur, eorumque studiis libenter obsequimur, id nobis ad Augustalis excellentiæ culmen proficere credimus. Non ergo reluctanti Carolo sed longo jam tempore ambienti corona imponitur. Quomodo premissis negatur Imperium Occidentale, si etiam Orientale tenebat in voto? Nonne conjugium cum Irene Imperatrice Græca per Legatos sollicitavit atque quæsit? Zonaras Testis est. &c.*

Sæcul. VIII.

A. C. 800.Imperium  
Occidentis  
restituitur.Sup. Lib.  
XXIV.

S. 34.

diu in maxima Italiae parte regnabat, & speciatim Romæ Dominus erat, cum sibi juramentum Fidelitatis præstitum fuerit, & in ea tam per Mandatarios quam per se ipsum & quidem in causa ipsius Pontificis jus diceret. At Romanis fuerant causæ, cur Carolo Imperatoris Titulum darent: Videlicet destitutos se sentiebant Græcorum auxilio, quod jam diu nequidquam efflagitauerant, & tunc Constantinopoli scemina imperabat, cui obedire probrum ducebant, cum res exemplo careret. Ergo æquum erat, ut illi, qui Imperatoris habebat potentiam, etiam nomen tribueretur, quod executus est Pontifex, qui Dignitate Papali primum Romæ gradum obtinebat. Ita Imperatoris Romani nomen anno 476. in Occidente extinctum post annos trecentos viginti quatuor revixit. (\*)

Non

(\*) Ex his omnibus liquet, collati in Carolum Magnum Imperii Auctorem fuisse Leonem Papam consentiente Populo Romano.

Quamvis vero Summus Pontifex illa Coronatione nullas ei subjecerit Provincias, quibus antea non potiretur, ideo tamen dici non potest, quod, dum Carolus salutatus fuit Imperator, vacuum Imperatoris nomen, aut solum Ecclesie Defensoris Officium acceperit, sed potius quod etiam Jus Græcorum Imperatorum, quod

Nonnulli Carolum anno octingentesimo primo coronatum scribunt, quia tunc Franci annos a Die Natali Redemptoris auspiciari solebant. Paucis post diebus Imperator Carolus reos in conspectum adduci iussit, qui Papam deponere attentaverant, scilicet, Campulum, Paschalem & conscios, non paucos numero, & ex primis Romanorum stirpibus natos. Inde dispicimus, ex Francia, quo eos Regis Mandatarii miserant, fuisse revocatos. Igitur dum ab Imperatore presentibus Francorum & Romanorum Optimatibus interrogantur, iisque crimina sua exprobrantur, dicebat ad Paschalem Campulus: *Utinam nunquam vidissem vultum tuum, infelix! Tu enim in hac pericula me adduxisti.* Tum aliis quoque in alios vicissim culpam rejicien-

Sæcul. VIII.  
A. C. 800.

Ann. Eginh.  
Loisel. &c.

Sup. n. 14.

Anast. in Leo.

Rr 4 jicien-

quod ad Occidentem & ad Urbem Romam habebant, acquisiverit, cum Titulo Imperatoris & Augusti, illisque Prærogativis, quæ superioribus Sæculis non Regiam sed solam Imperatoriam Majestatem comitabantur.

In eo etiam sensu, nempe quoad Occidentem, videtur Imperium posse dici translatum. Plura legenda sunt in Adnotationibus ad Natal. Alex. in Sæc. IX. Diff. I. Quod vero S. Leo Papa ex concessa sibi Divinitus Auctoritate Carolum Imperatoria Dignitate auxerit, Cardinalis Baronius ad hunc annum affirmat.

**Sæculum IX.** jicientibus, secundum Legem Romanam  
**A. C. 801.** judicati, & ad mortem, veluti rei læsæ  
 Majestatis, damnati sunt. At vero Pa-  
 pa pro reis orans, iisdem vitam & mem-  
 brorum incolumitatem impetravit. Er-  
 go in Francia exulare jubentur. Impe-  
 rator tota hyeme Romæ versatus, causis  
 Reipublicæ & Ecclesiæ compositis, tan-  
 dem post Pascha anno 801. vigesima quin-  
 ta Aprilis discessit.

## §. XXII.

*Legati ex Oriente ad Carolum  
missi.*

*An. Eginh.* **C**arolo Aquisgrani sub finem anni se-  
 ptingentesimi nonagesimi noni com-  
 morante, Monachus Jerosolyma adve-  
 niens dona & Reliquias S. Sepulchri a  
 Patriarcha missas attulit, cui Jerosoly-  
 mam redituro Rex comitem dedit Pres-  
 byterum e Regia sua, nomine Zacha-  
 riam, qui anno exacto ex Oriente rever-  
 tens, mense Decembri anno octingen-  
 tesimo eadem die, qua Papa se a crimina-  
 tionibus publice purgavit, Romam per-  
 venit. Zachariam secuti fuerant duo  
 Monachi a Patriarcha Jerosolymitano  
 missi, Regi Carolo claves S. Sepulchri  
 & montis Calvariæ cum Vexillo afferen-  
 tes. Rex humanissime exceptos, aliquot  
 dies apud se retinuit, & redire volentes  
 muneribus cumulosos dimisit.

Carolo